

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Disputatio Theologica, De Emundatione Sagvinis Christi  
Iustificata**

**Neumann, Johann Georg  
Gölner, Johann Polycarp**

**Wittenbergae, 1716**

**VD18 13492934**

§. V.

[urn:nbn:de:bsz:31-130526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130526)

mo hoc de sanctificatione asseveraverit: Ipsa enim renovatio unionis gratiam, ordine naturæ insequitur. Hinc aureus Kœnigii Aphorismus est: *Unio prior est renovatione; ex huius namque effectibus, bonis scilicet operibus, tanquam a posteriori, existentiam illius possum cognoscere*, I. Io. III. 6. 23. 24. IV. 12. 13. 16. P. III. Theol. Posit. §. 577.

## §. V.

Restat, ut doceamus, quodnam sit *objectum* seu *impuritas*, a qua nos purget pretiosissimus Christi sanguis? Non moramur in præsentis Pontificios, statuentes, Christum tantummodo satisfecisse pro peccato *originali*, neutiqum vero pro *actualibus*, quippe pro quibus nobis satisfaciendum esse dicunt. Hanc enim Pontificiorum sententiam esse, optime demonstrat B. Carpzov. *Is. p. 651*. Quid vero hoc est aliud, quam Spiritui S. in faciem contradicere, diserte affirmanti, sanguinem Christi nos ablueri *ἀπὸ πάντων ἁμαρτίας*, ab omni peccato. Estius ad hunc locum regerit: nunquam nos dum hic vivimus, ab omni peccato esse emundatos, sed modo ab his, modo ab illis peccatis nos indies mundari, quam quidem sententiam probaram existimat in verbis sequentibus: *Si dixerimus, nos non habere peccatum, fallimus non ipsos*. Sed enim vero, verba Apostoli clariora sunt, quam ut hac nube obscurari queant. Qui enim dicit, nos ab omni peccato emundari, simul asserit, emundari nos a peccato & originali & actualibus, a venialibus & mortalibus, adeo ut nullum peccatum tam atrox sit, quin sanguine Christi deleri possit. Neque vero ita emundamur a peccatis, ut nullum amplius in nobis reliquum maneat: id quod est, quod Estio scrupulum movet. Quamdiu enim homo in vivis est, remanet ipsum pecca-

peccatum, ejusque lenus: tegitur tamen in Iustificatione, indumento justitiæ Christi, ut ne videatur; vel potius: tollitur ejus reatus, ut ne nobis imputetur in poenam & condemnationem.

## §. VI.

Perlustratis iis, quæ ad dictum nostrum explicandum facere videbantur, restat nihil amplius, quam ut breves easque salutare doctrinas inde extrahamus, & in nostram convertamus utilitatem. Ac Id quidem ex Textu nostro optime probari posse autumo: *Quod Christus vere pro nobis satisfecerit.* Non desunt, qui huic sententiæ contrariantur, nimirum illi, qui in Schola Socini educati sunt, satisfactionem Christi, tanquam infensissimi ejus hostes, plane in dubium vocantes, atque somniantes: Christum nec potuisse, nec debuisse satisfacere, adeoque nec revera satisfecisse. Verba ipsius Socini hæc sunt: *Etiamsi non semel, sed sæpe id in sacris monumentis scriptum extaret, Christum pro peccatis nostris divine iustitiæ satisfecisse, non idcirco tamen rem prorsus sic se habere crederem.* P. III. de Christo Servatore c. 6. At enim vero, detestanda impietas est, clarissimis Scripturæ testimoniis fidem denegare, & *Φρονέειν ὑπὲρ τῶν γράμματος*, i. e. sapere supra id, quod scriptum est 1. Cor. IV, 6. Nos veneramur veritatem, a Ioanne clarissime assertam, h. t. Dum enim sanguinem Christi dicit, nos emundare ab omni peccato, quid aliud testatur, quam Christum satisfecisse pro nostris peccatis? Equidem Socino nostra interpretatio non est ad palatum. Ubi enim sanguine Christi dicimur emundari ab omni peccato, idem hoc esse existimat ille, ac per sanguinem Christi emundatos nos pronunciari,